



Svmma Juris Canonici

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,
pertinent

Ivrisdictione Ecclesiasticâ, & Iudiciis

Strein, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1658

Titulus I. De Ivrisdictione Ecclesiasticâ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61847](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61847)

TITVLVS I.

De Iurisdictione Ecclesiasticâ.

Uo esse, quibus principaliter hic mundus regitur, auctoritatem sacram Pontificum, & potestatem regalem à Gelasio Papa discimus *c. Duo dist. 96.* ad formam scilicet mundi corporalis, in quo luminare maius diei, & luminare minus nocti à sapientissimo rerum omnium conditore DEO præstaturum est. Duplicem igitur potestatem, & Iurisdictionem veneremur oportet, spiritualementem, siue Ecclesiasticam, & temporalem seu terrenam, ita separatas, ut sese invicem nihilominus consequantur & perficiant. De Ecclesiastica aucturi generalia quædam præmittimus, & primo occurrit,

§. I.

Quid Iurisdictione & quotuplex sit?

I. Accursum *l. 1. x. de Iurisd. omn. iud.* Iurisdictionem definit esse potestatem de publico introductam cum necessitate juris dicendi & æquitatis statuenda. Quam definitionem Iurisperiti laudant, & *Greg. Tholos. l. 47. Syn. c. 21. n. 8. multum explicat.* E contra ut vitiosam damnat *Berlichius Concl. 1. & Mol. Tr. 2. D. 21.* qui hanc substituit, *Iurisdictione est facultas alicuius hæ-*

bentis publicam auctoritatem, & eminentiam super alios ad eorum regimen, & gubernationem. De qua loquitur Apostolus *ad Rom. 13. v. 1.* Omnis anima potestatibus sublimariibus subdita sit. Non est enim potestas, nisi à DEO infert deinde. Qui resistit potestati, DEI ordinationi resistit. Sed hæc primæ definitioni, si bene explicetur, nihil officiant.

II. Iurisdictionis genera seu species variæ sunt. Dividitur enim Primò in Ordinariam, & Delegatam. Ordinariam dat. 1. Lex inanimata, siue Canon, 2. lex animata, ut pontifex, Imperator, princeps. 3. Consuetudo legitime præscripta. *v. Proleg. §. 9.* 4. Universitas approbata, cuiusmodi est mercatorum, & legistarum, qui possunt Iudicem ordinarium sibi ex corpore suo creare. *c. Cum ab Ecclesiis de off. Ordinar.* Porro ordinarius Iudex censetur, qui ex proprio munere seu officio Iurisdictionem exercet. Delegatus, qui non ex officio, sed commissione sibi specialiter facta jus dicit. *Laym. l. 1. Tr. 4. c. 5. Sylv. v. Iurisdictione.* Secundò dividitur in Voluntariam, & non voluntariam, seu contentiosam. Huius est, leges ferre, punire reos, ac definire lites: cui propterea tribunal debetur, & forum litigiosum: illa in gratuitis verlatur, qualia sunt sol-

verc,

vere, dispensare, legitimare, Sacramenta conferre, & similia. Differunt 1. Contentiosa etiam in invitos exercetur, quod voluntaria nunquam facit. 2. Contentiosa in alieno territorio exerceri nequit, nisi expresse vel tacite consentiat iudex proprius, & partes litigantes. c. 2. de Constit. in 6. E contra voluntaria etiam in alieno solo, plerumque licite exercetur v. g. assistendo contrahentibus matrimonium & similia. Hac enim absque tribunali, & forensi strepitu peraguntur. At ramentum scandali, & aliorum incommodorum causa magis expedit uti privatim iurisdictione sua, ne quisquam iuste offendatur. *Gemin. inc. fin. de El. in 6. Zercla Par. I. v. iurisdictionis. Sanch. l. 2. de Matr. Disp. 40. Tertio dividitur iurisdictionis in Ecclesiasticam, & Civilem. Unde duplex forum, & tribunal. Vnum pro spiritualibus seu Ecclesiasticis causis alterum pro temporalibus & civilibus: quamvis non ita discernantur, quin subinde commune forum habeant, ut patebit ex dicendis §. sequ. Sanch. l. 3. de Matrim. dis. 19. Vallens. l. 1. T. 31. Mayana Par. 4. T. an simplex dist. 18.*

III. Aliter legistæ dividunt, in Imperium, & Iurisdictionem simplicem nu. 7. & sequ. nec uno modo explicant. Imperium officio iudicis nobili exercetur, Iurisdictionis simplex mercenario. Imperium aliud est merum, aliud mixtum. Merum imperium vocatur iurisdictionis, quæ publicum bonum & utilitatem immediatè respicit, ut apparet in constitutione legum & punitione reorum: mixtum privatorum utilitati consulit. Mixtum idè *Vlpianus* appellat, quia illi iurisdictionis inest. Complectitur enim simul publica & privata commoda. *Meri Imperii sex gradus numerantur. Pri-*

*mus est Maximi Imperii, quo licet in ferrebellum, condere leges universales, in illis dispensare, cogere comitia, cognoscere comitia, cognoscere de causis & litibus sine remedio appellationis: Item imponere vectigalia, cudere monetam, & similia, quæ regali titulo prænotantur. Secundus à legistis communiter merum imperium appellatur. *Vlpian. l. 3. de iurisd. om. iud. & sic describunt. Merum imperium est, habere gladii potestatem in facinorosos homines. Sub gladii nomine aliæ pœnæ comprehenduntur puta, mutilationis, exilii, perpetui carceris, & similes. Decius. de iurisd. om. iud. v. Lex III. n. 3. à Canonistis huc refertur degradatio, & excommunicatio, quæ motu proprio fit. Speculator in 1. par. Rubr. de iurisd. om. iud. Tertius gradus continet potestatem interdicens igne, & æqua, hoc est, exilii decernendi: quod spectat etiam minor capitis diminutio, & in insulam deportatio. Quartus gradus vocatur imperii parvi, ubi est potestas relegandi, subjiciendi torturæ, sed citra mortem, & mutilationem v. g. flagellis cædendi, quæ pœna etiam in foro Ecclesiastico locum habet. Quintus gradus est imperii minoris, quo refertur exigua corporis afflictio & coercitio. Sextus denique est minimi imperii, quod pertinet exigua pecuniariæ multæ. Hi duo postremi gradus cuiuslibet magistratui civili & Ecclesiastico conveniunt, ne inane nomen gerere videantur. V. *Meloni in Thesaur. iur. feudal. Tit. 42. d. ff. 2. ubi tres tantum meri imperii gradus ponit, & exponit.***

Imperium mixtum iisdem fere gradibus distinguitur. Nam *Primus gradus seu Imperium mixtum* Supremo principi

reter-

reservatur, posse legitimare in famem restituere, reo condonare delictum, quando adversa pars non urget, revocare sententiam, quæ tranſiit in rem iudicatam & similia.

Secundus (maius imperium) est cognoscere de supplicatione adversus sententiam latam ab eo, à quo non potest appellari, quod soli supremo principi, & Præfeto prætorii convenit.

Tertius (*Magnum Imperium*) est cognitio eorum causarum, quæ important plenam causæ cognitionem, & coercitionem realem, vel personalem, ut mittere in possessionem ex secundo decreto, restituere in integrum, expellere aliquem de possessione respta.

Quartus (*Parvum Imperium*) cognoscere de causis quæ habent plenam cognitionem, licet non habeant coercitionem realem, aut personalem; ut dare bonorum possessionem, quæ tribuit ius, prenunciare aliquem mittendum in possessionem ex secundo decreto; interponere auctoritatem in alienationibus, & transactionibus alimentorum. Et ista quatuor mixti Imperii membra non possunt delegari: *V. Bronchorst. Cent. 1. Assert. 16. & 17.*

Quintus (*Minus Imperium*) est, dare possessionem ex edicto Carboniano, in possessionem mittere summarie cognoscendo, præterea huc spectant, quicumque summarium processum exigunt, & eatenus delegari possunt.

Sextus (*Minimum Imperium*) expeditur atque causæ cognitione, ut interponere auctoritatem manumissioni & emancipationi, cõpetuntque ista jure Magistratus, & catenus delegabilia sunt. *Bart. l. 2. in initio.*

IV. Iurisdicctio simplex Iudicis mercenario officio exerceri solita totidem gradus habet. *Primus* vocatur *Iurisdicctio maxima*, in qua nimirum vertitur res magni præiudicii, cuiusmodi est causa status, ingenuitatis; & libertinitatis. *Secundus* maior, quando ex causa descendente ex delicto aliquis civiliter condemnatus fuit, & quæ non habuit in are, luit in corpore. Cum autem sic quædam executio, non potest delegari. *Tertius*, magna Iurisdicctio, quæ ultra 300 aureorum mulctam non extenditur. Nec delegatur, nisi forte propter absentiam, aut graves occupationes. *Quartus*, parva, usque ad 300 aureos portigitur. *Quintus*, minor, & sextus minima Iurisdicctio prudentiæ & discretioni Iudicum relinquuntur, cum nihil sit à Iure determinatum.

NOTA. Quædam sunt meri Imperii, & Iurisdicctionis simplicis quoque sub diverso respectu. Tortura v. gr. quando adhibetur in pœnam, meri Imperii est: quando in civili causa ut si testis vacillet, exercetur, Iurisdicctionis simplicis est. Item levis coercitio imposta in pœnam est meri Imperii, in civilibus contra contumaciam Iurisdicctionis simplicis. Idem videre est in incarcerationione & excommunicatione, quæ ex publicâ causâ contra rebelles & contumaces meri Imperii est; sed ad instantiam adversæ partis concessa simplicis Iurisdicctionis. Denique appellatio in causâ criminali est meri Imperii: in civili Iurisdicctionis simplicis vel mixti Imperii. *Bartol. l. cit. Decianus l. 4. c. 2. Wesenbeck. l. 1. n. 1. Fachin. l. 2. Contr. c. 94. Henning. Consil. 39. n. 9. & seq. Berlichius Par. 1. Conclus. 1.*

V. Ite-

V. Iterum Iurisdicatio dividitur in altam, seu supremam, & Bassam, seu inferiorem. Ad supremam seu altam pertinent meri imperii causæ. Ad Bassam causæ tum civiles, tum criminales, quæ competunt certis Iudicibus ratione magistratus, quem gerunt, quæque numerantur in *Auth. de defensorib. civitatis. §. nulla §. & iudicare. §. Audiant.*

Eiusmodi est tortura ad eruendam veritatem in causis civilibus, simplex cognitio de levioribus noxis: incarceration custodia causa, non in pœnam: alia denique de quibus *Petrus Jacobi in Practica sua par. 30. & 31.* Verum quia in hisce non satis conveniunt DD. benè monet *Tholos. l. 47. c. 21. n. 20.* attendendam esse loci consuetudinem. Hæc enim facit ius, & iurisdictionem dat *l. more. x. de iurisd. om. iud. Idem dicendum de privilegio c. dilectissimi de foro comp. Knichen. c. 4. de iure superioritatu communi p. 246.*

VI. Nonnullis hæc placet quadrimembris divisio. Alia iurisdicatio est ordinaria, quæ ab officio, vel dignitate manat: alia delegata, quæ ex commissione: alia arbitraria, quæ communi partium conventionione tribuitur: alia denique accessoria, quæ aliunde venit, puta ratione delicti. Nam qui in alieno territorio peccat, illius superiori seu domino subii-citur, ut ab eo iudicari, & puniri queat. *Azo. in summa l. 3. §. 13. V. Vesenbec. l. 1. n. T. 2. Speculator l. 1. T. de iurisd. om. iudic. Canis. l. 4. Inst. tit. 1.*

VII. Quæ primi gradus, & supremæ potestatis sunt, non censentur comprehendi in generali concessione meri, & mixti imperii, nisi specialiter exprimantur, iuxta *Reg. in generali concessione & de*

Reg. in 6. Quæ verò sunt meri & mixti Imperii Ecclesiastici, excepto supremo gradu, non tantum generalibus sedis Apost. legatis, sed etiam Episcopis, aliisque prælati tribui possunt. *c. 1. de off. Ordinar. Mol. tr. 5. dis. 6. & 7. Covar. pract. Q. 2. c. 4. Layman. l. 1. tract. 4. c. 5. Bronchorst. Centur. 1. Assert. 15 & 16.*

§. 2.

Veriusque Iurisdictionis, Ecclesiastica, & Civilis differentia.

I. **S**upponendum, quod in primâ Parte I. 14. de sum. Pont. probavimus in Ecclesia relictam à Christo esse Prælati potestatem, & iurisdictionem, nomine clavium indicatam *Matth. 16.* quæ ad directionem, & gubernationem fidelium pertineat: quicquid in cassum reclamant novatores hæretici, odio summi Pontificis & Prælatorum excæcati, in tantum, ut suo cum dedecore, & damno prætoribus se, suasque actiones iudicandas submittere malint, quàm Ecclesiasticam potestatem agnoscere. *V. Confess. Aug. art. 7. & Apologia eiusd. c. de potestate Ecclesiastica. Calvinus tamen l. 4. Institut. c. 17.* spirituales quandam politiam Ecclesiis relinquit, quæ à civili prorsus distincta sit: ordo videlicet comparatus ad spiritualis politie conservationem: in quem finem iudicia sint, quæ ceosuram de moribus agant, animadvertant in vitia, & clavium officio præsent: immotigeros, & contumaces à fidelium cœtu arceat, & similia.

II. Differentiam sacri & profani iuris plerique à materia, & sine sumendam
b existi-

existimant. Verum longè melius per quatuor causarum genera distingues, quemadmodum de iure fecimus in *intro prima Partis*.

Primò igitur origo seu causa efficiens diversa est. Nam Ecclesiastica potestas immediate à Deo confertur. *Matth. 16. v. 18. Bellarm. l. 1. de Pontifice c. 14.* politica ab hominibus, lege consuetudine, privilegio, aut præscriptione. *Tholos. l. 47. c. 21 Covar. Q. Q. practuar. lib. c. 1. n. 6.*

Secundò finis politicæ iurisdictionis temporalis est, pax nimirum, & tranquillitas civium. *l. 1. Reg. c. 8. l. Inter claras C. de summa Trinit. Ecclesiasticæ verò animarum salus secundum illud Ioan. 21 v. 17. Pæce oves meas, intellige, regendo, & præsidendo. Bellar. l. 1. c. 15. s. deinde.* Quantum igitur spiritus corpori, & divina humanis præstant, tantò potestas temporalis inferior est spirituali; principum minor, quàm sacerdotum. *c. suscipi- tis. dist. 10 Gregor. VII. l. 3. epist. 21. ad Her- man. Metens. episc.*

Tertiò Materia similiter in politicâ iurisdictione sunt leges, & lites temporales: in sacra verò spirituales. Sacerdotium enim divinis, imperium temporalibus præsidet. *Auth. Quomodo oportet episcopos. Collat. 1. Forma denique in modo procedendi, & iudicandi posita necessariò diversa est, cum à legibus multum differant Canones, quorum in actionibus, & iudiciis auctoritatem sequendam esse Concilium Meldense præcipit. Tholos. l. 1. c. 1. Vasquium l. Controv. Præfat. num. 120. Suarez. l. 3. de Schism. Angl. c. 6. num. 17.*

III. Vtrum ita distent sacra & profana iurisdictione, ut nunquam altera alte-

rius fines ingrediatur, non inane dubium videretur. Nota vulgo regula est. *Nemo iudex ultra concessam sibi potestatem iudicet potest.* *Decius in Reg. Factum à iudice.*

Item iurisdictione concessa servanda est eo modo, quo concessa est, ne ordo politicæ turbetur confusis actionibus humanis, *c. Pervenit 21. q. 1. aliter à non suo iudice lata sententia vim nullam habebit. l. 1. & l. fin. C. si à non compet. iud. c. in primis 2 q. 10. Ex transmissis. de fo. comp.*

His tamen non obstantibus, iurisdictione Ecclesiastica ad temporalia in multis porrigitur, & temporalis potestas subinde causis Ecclesiasticis occupatur; quod ut melius intelligatur, ad sequentia animum adverte.

Primò, Ecclesia iuste excommunicat aliquos privando non tantum Sacramentorum usum, sed etiam vitâ civili, ita ut nec emere nec vendere, vel aliter contrahere cum excommunicatis liceat, *c. apostolica. & sequ. 24. q. 3.*

Secundò, hæreticorum bona fisco addicit. *c. Excommunicamus 13. de hæretico damnati traduntur potestati sæculari, ut debitis pœnis afficiantur. His similia plura in Concil. Lateran. sub Innoc. III. decernuntur.*

Tertiò Conc. Trid. sess. 25. c. 20. mandat, sacros Canones & Concilia generalia omnia in favorem Ecclesiasticæ libertatis edita exactè ab omnibus servari, in quibus tamen multa de temporalibus, subditorum exemptione, & liberatione habentur. Non minus in aliis Conciliis temporales pœnæ pro diversis delictis statuuntur, & imperantur.

Quartò, Ecclesia potest corrigere, vel omninò tollere leges civiles, quando

noxia iudicantur bonis moribus, vel iniuriales. *Sily. v. Lex. num. 15. Suar. l. 3. de Schism. Angl. l. 16. n. 12. & sequ.*

Quintò, Quando secularis Iudex negligens est cum damno subditorum, eius loco ius dicit. *Licet ex suscepto. de foro comp. Idem faciet, cum munere suo pravè & infideliter funguntur. Idem quando ambiguum, & obcurum ius fuerit in causis, quas laicus Iudex tractat, indeque oritura creduntur scandala, & dissidia inter Principes. Reliqua v. ap. Suar. de Schism. Angl. l. 3. c. 23.*

IV. Quæritur etiam, an Iudex Ecclesiasticus propria auctoritate laicum capere, & incarcerare queat. Negant multi apud *Decianum l. 4. c. 26.* existimantis pro executione implorandum esse auxilium brachii secularis, E contra *Covarr. l. 9. q. 9. pract. c. 10.* pensatis Doctorum sententiis definit posse, etiam in locis, ubi episcopus nullam habet secularem iurisdictionem. In probationem allegat *c. ad audiendum. 17. q. 4.* ubi de Ecclesiasticorum bonorum directores *Vrbani Papa* dicit, damnandos perpetuam infamiam, & carceri tradendos esse. Idem de sortilegis & idolorum cultoribus præcipitur in *c. ad idolorum 26. q. 5.* Annotat verò citatus *Covarr.* si laicus damnatus sit ad solvendum ex temporalibus bonis, eius bona Iudicem Ecclesiasticum non posse propria auctoritate capere, nec ipsam personam carceri mancipare ad ex torquendam solutionem, sed invocandum ad id esse auxilium brachii secularis: & sic intelligenda, quæ pro contraria opinione adferri solent. *Davalos in directo. l. 1. c. 13. n. 22. Sanch. l. 6. c. 1. dis. 5.* Sed in hac re multum consuetudo potest, quæ non ubique

eadem. *Lopez. in Pract. Crim. c. 125.* tradit, regis legibus in Hispaniâ sultam esse sententiam, quæ negat Episcopis potestatem incarcerandi laicos. Idem in *Mediolan. Ducatu servari iul. Clarus testatur l. 5. §. fin.* imò communem esse sententiam: in quo manifeste fallitur. Addit tamen, si prælatus aliquis præscripsisset eiusmodi potestatem capere, & incarcerare posse. Quod etiam de consuetudine dici potest, iuxta *c. Licet. de foro comp. & quorundam DD. sentum, de quo consule. Dian. Par. 4. Tract. de immun. Eccl. Resol. 2. 62. & 69.*

DICES Regum officium est proprium, facere iudicium & iustitiam, gladio videlicet & pœnis corporalibus. *c. Regum 23. q. 5.* nec alium gladium Ecclesia habet, quàm spirituale. Et *S. Bern. Eugenium Papam l. 4. de Confid. c. 3.* sic alloquitur. *Quid tu demum usurpare gladium tentas, quem semel iussus es reponere in vaginam tuam.*

R. Ecclesia Ecclesiasticis pœnis per se, & ordinariè punit delinquentes, per accidens verò, & pro necessitate, utitur carcere, & aliis quibusdam ad frangendam contumaciam. De gladio quod obiicitur, *S. Bernardi* verbis *l. cit.* hoc modo explicatur. Tuus est, (gladius) & ipse forsitan tuo nutu etsi non tuâ manu evaginandus, alioqui si nullo modo ad te pertineret, dicentibus Apostolis. Ecce duo gladii hic, non respondisset Dominus *serius est, sed nimis est.* Vtrique ergò Ecclesiæ, & spiritualis est gladius, & materialis: sed is quodammodo pro Ecclesiâ, ille verò ab Ecclesia exercendus. Ille sacerdotis, is militis manu, sed sanè ad nutum sacerdotis, & iussum Imperatoris. *c. Principes & seqq. 23. q. 5. Bellar. l. 4. de Pontif. c. 16 & seq.*

& sequentibus. *Salas de leg. q. 95. dis. 7. Greiser. in Exam. mysterii Plessani c. 17. Mussus in Conc. de passione Dom. p. 831. §. 4.*

V. Propter hanc Ecclesiasticæ iurisdictionis amplitudinem, quorundam iudicio sic ordinata, & distributa sunt munera Ecclesiastica, & dignitates, ut ad similitudinem temporalis regni alii sint Patriarchæ, Primate, & Archiepiscopi instar regum; alii Episcopi & minores Prælati instar Principum. Ducum Comitum, ita *Moscon. de Maiest. Eccl. P. 1. l. 2. c. 1.* addens ad regimen universalis ecclesiæ omnino necessariam esse potestatem temporalem, ab eaque obsequium præstandum Ecclesiæ: imò obedientiam omnimodam in iis, quæ rectè in salutem animarum præcipiuntur. Hoc enim subordinatio inferioris potestatis exigit, ut inferior qui est, maiori sublit, & qui maior, seu superior, prælit. *c. Cum ad verum. Dist. 96.* Officia utriusque potestatis sic discrevit Deus, ut & Christiani Imperatores pro æternâ vitâ pontificibus indigerent, & pro cursu temporalium rerum tantummodò imperialibus legibus uterentur.

Aterius sic res altera possit opem.

VI. Ex dictis liquidò apparet, graviter aberrare. *Ioan. V. Amesium*, qui Consilio 68. n. 1. & sequentibus docet, Iudici Ecclesiastico non magis competere iurisdictionem temporalem, quàm laicis in Ecclesiasticos *xi. q. 1. per tot. & c. Novit. de iudic.* nec aliud discrimen esse, quàm quod clerici sæcularis Iudicis iurisdictionem prorogare non possint, nec in illam consentire, possint verò laici Ecclesiasti-

co Iudici se subiicere: vel si non iurisdictioni, saltem audientiæ per speciem aliquam compromissi, seu arbitrii. *l. si quis ex consensu c. de Episc. audiens.* Unde Ecclesiastici Iudicis aut, in laicos propriè nulla iurisdictione est, sed tantum audientiæ. *l. Episcopale. C. di. tit.* ideoque de Episcopali audientiæ, non de Episcopali iurisdictione in *C. Iustitiani* insertus est titulus. Ita *V. Amesius* contentaneè illis, quæ apud *Bellar. l. 4. de Pontif. c. 15.* *V. Vileffus, Lutherus, & Melancthon.* cum aliis hæreticis *c. 17.* opponunt, quorum errores ibidem *Bellarum.* accuratè confutat. Sed contra illum nihilominus manum elevans *Balthasar Meisnerus in Par. 3. Philosophia sobria pag. 855.* accersit in subsidium *Barclay* sententiam confidentiam, qua fretus potestatem Ecclesiasticam & civilem ita separatur, ut neutra alteri subiiciatur. *Ut brachia, inquit, ad humeros, & humeri ad collum, & caput annectuntur; nec dextrum brachium, dextere humerus, sinistro, vel contra subiicitur: ita potestas spiritualis & temporalis, licet membra sint unius corporis politici, & partes unius Reip. Christianæ, neutra tamen alteri subiicitur, neutraque alterius fines & iurisdictionem sine scelere potest invadere; sed ambæ velut unius corporis humeri ad caput, qui Christus est, annectuntur. Ita ille, cuius filius *Ioan. Barclay* multò sapientior in *Paranesis sua l. 1. c. 9.* demonstrat, convenientissimum fuisse, ut toti Ecclesiæ summus pastor relinquere- tur. Nam ubi ordo, devenit ad aliquem primum: ubi non ordo, ibi confusio.*

§. 3.

De extensione Iurisdictionis temporalis.

Nunc de temporali Iurisdictione disquirendum restat, quomodo circa spiritualia, & Ecclesiastica interdum occupetur. Equidem per se, & directe non excedi ad spiritualia causas inter DD. datus convenit, c. *Cum non ab homine de iudic. lvi. Clarus §. fin. q. 36.* committi tamen posse ab Episcopo & delegari laico civiles clericorum causas *sanses* tradit l. 6. *Consl. c. 1. Dub. 1. n. 6. & 7.* superest igitur considerare, an non per accidens, incidenter, vel alio modo fieri queat. Suppositis, quæ in prima parte diximus T. 1. §. 6. sequentia notanda sunt.

I. Quia ius permittit, ut incidens quæstio ab eo Iudice cognoscatur, coram quo incidit, qui alias illam iudicare non posset. probabile est in causis Ecclesiasticis idem licere, modò quod spirituale est, non attingatur.

Ita cum aliis à se citatis sentit *Martha Tr. de v. jur. v. gt.* Petrus excommunicatus est propter percussorem clericum, de eo an acciderit, quæstio apud laicum Iudicem moveretur, qui de facto cognoscere poterit. Idem licebit, si dubitetur, an clericus quisque sit legitimè natus, an homicidii reus, & similia. In probationem allegatur c. *Postulasti 21. de homic.* ubi videtur facultas dari regibus puniendi eos, qui sacerdoti decimas negant, si is apud regem questus fuerit. Verùm alii ita explicant, ut nihil aliud concedi velint, quam clericum non incurere irregula-

ritatem, si laicus apud Iudicem sæculari accusatus de damno sibi illato ad pœnam sanguinis condemnatur. *Barb. in c. cit. Roderrq. 19. tit. 15. c. 2. Mynfingerus, praxin Camerae Spirensis testatur esse Cent. 1. obs. 100.* si incidat quæstio spiritualis in causa civili, ut illius decisio remittatur ad Iudicem Ecclesiasticum, & interim cesset civile iudicium, si autem profana quæstio sit, plus dubii inesse, se tamen vidisse observatum, quod non obstante tali exceptione reo imponatur contestatio litis, salvis tamen illi exceptionibus, & defensionibus suis post litem contestatam proponendis. Si igitur per viam reconventionis vel alio modo reus obijciat quæstionem præiudicalem, quæ coram alio Iudice determinanda sit, eaque verà existente perimatur quæstio principalis, tum præiudicialis quæstio ad ordinarium Iudicem remitti debet, & interim suspendi iudicium. Arque hic modus sacris Canonibus & clericorum immunitati convenientior esse videtur. *v. Fachineum l. 2. Controvers. c. 38.*

II. Quando actio merè realis est, potest sæcularis Iudex sententiam ferre contra clericum, v. g. ut restituat depositum, & requirere à Iudice Ecclesiastico, ut ad id præstandum compellat, latamque contra clericum sententiam exequatur. Sic enim contra rem potius, quàm contra personam sententia fertur. *Cervallas de cognitione per viam viol. p. 2. q. 76. Zypæus l. 1. de Iurisd. Eccl. c. 23. n. 10. Gaill. l. 1. obs. 37. n. 4.*

Idem de causis mixtis dicendum, ut in mixtum ratione rei contentæ & in territorio Iudicis laici positæ coram illo clericus conveniri possit, maximè, si alii participes

b 3. ticipes

icipes sint, ut in hæreditate, & bonis cõmunibus accidit. Ita usum obtinuisse, *Zypaus affirmat. l. cit. Mynsing. obs. 67.* rationem fundi, quem à laico clericus habet, pertinere dicit ad forum iudicis sæcularis. *c. Caterum. de iudic. c. Ex transmissa, &c. Verum. de foro comp. Follerius in Praxi Censuali 474.*

III. Quia possessio facti esse censetur, passim de ea apud sæculares Iudices litigatur, idque ided, ut Resp. quieta maneat, & ne litigantes super possessione ad arma prosiliant: sed quia beneficiorum Ecclesiasticorum possessio sine titulo esse nequit, is in tali iudicio examinandus nõ est, sed relinquendus Ecclesiastico Iudici cuius est cognoscere de iure, ac proprietate beneficii, de cuius possessione litigatur. Et in tali iudicio magis res, quàm persona attenditur, quemadmodum annotavit *Holos. l. 47. c. 21. n. 25. addè, à Martino v. Regibus Gallia* nominatim concessũ esse privilegium de beneficiorum Ecclesiasticorum possessione iudicandi. *v. Mynsing. Cent. 2. obs. 67. Gaill. l. 1. obs. 30. Schyvanman. l. Practicar. observat. 8.*

IV. De decimis usurã, Concubinato, & similibus mixti fori controversiis, eadem ratio est, ut de illis, quando non alia, quàm facti quæstio est, sæcularis Iudex cognoscere possit. *Diana parte 1. tr. 2. Resol. 78. 90. & seqq. Laym. l. 4. tr. 9. c. 2.* De feudis similiter DD. conveniunt, si quæ bis orta fuerit, à sæculari Magistratu, vel patribus Curie decernendam. Non enim ut Clericus tunc, sed ut Vasallus iudicatur. *c. Ex transmissa. c. verum. de foro comp. Gaill. l. 1. obs. 38. Treutlerus Disp. 12. Zyp. l. 1. c. 30. v. quæ diximus in Par. 2. Tit. 10. §. 3. n. 13.*

V. illud quoque ratio & æquitas per-

mittit, ut clericus nomine alieno, puta, quia tutor, curator, vel procurator est alicuius laici, conveniatur coram laico magistratu. Non enim ipsius tunc clerici persona, sed per ipsum alii iudicio ad sunt. *Socinus ad Rubr. de fo. comp. n. 1. & 15. Sanch. l. 3. Conf. c. an. Dub. 30. n. 12.* Sic etiã ratione administrationis rerum Ecclesiasticarũ laicus coram Ecclesiastico iudice comparet, quod in Camera quoque observari à *Gaill. traditur l. 1. obs. 37. n. 7.*

VI. Clericum in civilibus reconventi posse coram laico iudice, communior opinio est. *Silv. v. Iudex §. 1. n. 4. Sanch. l. 6. Confil. c. 1. D. 1. n. 2.* tum quia iniquum videtur, eum contra se Iudicem spernere cuius quis in agendo observat arbitrium. *l. Cùm Papinianus. C. de sent. & interlo. tum quæ reconventio naturam induit defensionis, exceptionis, seu compensationis à convento propositæ. Non tamen super re spirituali, neq, super iniuria, aut crimine, quod infamet, quavis de eo civiliter ageretur. Ang. c. un. de Cler. coniug. in Diana, & Bonacina* negant reconventi posse in rebus, quæ non habent connexionem cum petitione v. g. siiple exigat murum, & ab eo petatur Commodatũ. Cùm enim hæc causæ diversæ sint dividi debent, & suo quæque Iudici remitti. *Marranta Par. 4. de ord. iudicior. dist. 6. n. 44.*

VII. Specialis casus est, ex quo coram laico iudice convenire clericum licet, puta, cum civis quispiam apud suum magistratum cõqueritur de clerico, quod per illum infametur, petitque liberari ab infamia, ex iniustã clerici iactantia proveniente. Hæc enim causa in foro sæculari agenda est, quia in tali casu laicus restitutione potes reus est, quavis licet alteri mo-

yeat,

veat, & clericus ad iudicē tractus actoris manere fungitur, vel probādo se nullam iniuriā intulisse conquerenti, quem existimes tali infamiā dignum, & resp. inter esse ut propaleatur: vel accusando eundē, à quo ad iudicem incompetentem pro tractus sit. *Mol. de primog l. 3. ca. 14. Causal. an. deis. 9. de ult. voluntatib. Sanchez l. 6. Consil. c. 1. dub. 1. n. 10.*

VIII. Si contingat coram laico iudice vacillare clericum in testimonio ferendo, aut fallum dicere, de eā falsitate iudicem laicum cognoscere posse aliqui putant non tamen ut puniat, sed ut causa statum melius intelligat. *l. 2. de iurisdict. om. iud. Zypov l. 1. cap. 8.* Imò etiam quoad civilem esse etiam, ut causā ob falsitatem in eā admissam cadat, sicut alii. *l. in fraudem. §. quoties ap. hyscum. π. De iurisdicti. Atque ira in praxi apud Mediolanenses servari sol. Clarus tradit l. 3. q. 36.*

Addit *My. sing. Cent. 2. Obs. 67.* si clericus succumbat coram laico iudice, ab eodem in expensas damnari: quod ab aliis merito negatur. *V. Coton. in sum. Diana. V. iudex laicus.*

IX. Qui post inchoatum iudicium efficitur clericus, non mutat continuo forum, sed coram eodem iudice prosequi cogitur. Ibi enim sortiri finem causa debet, ubi coepit. *l. vbi π. de re iud. l. cum quidā π. de iurisdict. om. iud.* Si tamen intra terminum citationi præfixum clericus fiat, cum citatio nondum exercuit vim suam, declinare forum posse probabile est.

Sed pono obiisse laicum, contra quem inchoatum iudicium est, transibitne in haredem clericum? Aliqui cum *Diana & Bonacina* putant ad prosequendam litem non teneri clericum, sed coram Ecclesia-

stico iudice renovandam actionem: probabilius tamen est transire in illum. causam, tumque hæres & defunctus eadem persona est, tumque inchoans litem defunctus, contestando quodammodo contraxit, ac promisit, ibi se, ubi coepit, esse, iudicium prosecutum esse. *sol. Clarus q. 36. Bragaf. de Regim. Reip. l. 2. d. 4. m. 5. Zyp. 6. 2. q. Coton. in sum. Diana V. iudex laicus: n. 24.*

X. Si quis laicus postquam deliquit, clericatum assumat, ut foro & iustitiæ illudat, immunis non erit. Nemini enim prodesse fraus sua debet. *l. Verum. §. Tempus. π. Pro socio. c. ad nostram. De empt. & vend. Clarus l. 5. q. 35. n. 38.* suadet ei usmodi clericos potestati sæculari ad condignam poenam committere. Addit, non servari hoc, ac proinde, quod Ecclesiastici iudices tergiversantur absque degradatione ad supplicium, & mortem condemnari posse. In contrarium *Diana* tendit, malletque omnino absolvi. Nam si, inquit, ad Ecclesiam confugiens reus ad evitandum sæculare iudicium immunitate gauderet, multò magis, qui totum se Deo consecravit. Rectè, si purâ intentione, & absque præiudicio alieni iuris id fieret. *mol. Consil. 119. n. 1. Em. Sa. v. Clericus n. 9.*

XI. Delicta quædam propter enormitatem suam & peculiarem noxam cum nihil obstat, laico Magistratui relinquuntur. Huius generis est

I. Crimen læsæ Maiestatis, saltem de facto: de iure autem contrarium plerique DD. tradunt, Certe *Decianus l. 7. c. 8. n. 6.* tales clericos suadet è civitatibus efficiendos ultra centum milliaria. Addit notum sibi sacerdotem resp. Venetæ subditum, qui pede suspensus sit propter prodicionem oppidi Marani, *Idem c. 38. n. 9. pro*

con-

contratis opinione, si praveat duas limitationes apponit. *Prima* est, puniri ab Imperatore reum læsæ maiestatis clericum, si ab Imperatore feudum habeat. Illo enim privati continuo posse. *Secunda*, si à summo Pontifice licentiam habeat, procedendi contra quoscunque clericos, & Religiosos in atrocioribus delictis, & specialiter in crimine læsæ maiestatis. *Barardus in Notis ad Iul. Clarum l. 7. §. læsa maiestatis num. 30.* ex legibus regni Neapolitani clericum huius criminis reum ait puniri per iustitiam, & non per Ecclesiasticum Iudicem. Ipse *Clarus in q. 36.* censet posse Principes in hoc excusari per textum *c. Perpendimus de sens. excomm.* Agitur enim in hoc crimine de statu, & vitâ illorum. Plures huic opinioni subscribere auctores citati, & *Barb. fateatur in c. si quis 22. q. 5.* ubi degradandos esse Episcopos, presbyteros & Diaconos statuitur, si machinati insidias temporali domino fuerint, quod tamen de verbali degradatione aliqui accipiunt, ut videre est apud *Barbos l. cit.*

2. Delictum est, præcedenti affine, si clericus iurisdictionem regiam, aut cuiuscunque Iudicis turbaverit, præsertim vi adhibita, ut si damnatum ad supplicium nitatur eripere, & liberare. *I. additios C. de Episc. & Cleric.* Si clericus seditiosus sit, ait *Iul. Clarus l. 5 q. 36.* & turbet pacem publicam, solet Senatus, quamvis in Sacris constitutus sit, illum ad tempus eicere ab illâ civitate, vel loco, quem perturbat, prout factum est proximis annis in quodam Archipresbytero. Addit talem provisionem tolerari posse, factam non minus ad beneficium ipsius clerici,

quam aliorum. Et confirmat exemplo fratris desiderii ex monasterio Castellarii, quem propter monetæ falsificationem decennio ad tritemes senatus damnavit.

3. Est homicidium proditorium, præsertim habitu excusso perpetratum. Tunc enim etiam omiſſa triplici monitione amittere privilegium fori, & in manus sæculares incidere *Iul. Clarus* tradit addens ab hac opinione nec consulendo nec iudicando recedendum. Tradatur, *inquis,* magistratui Ecclesiastico puniendus. Id non expedire, aiunt, quod manifestum est eiusmodi malefactores clericos leviter puniri, cum ingenti scandalo civium, quorum si quis homicidium commiserit, morte punitur: Idem si clericus fecerit, post aliquot dierum carcerem denuò urbem perambulat. *Ita Clarus* cui meritò opponi potest illud communiter receptum, clericos, etiam cum aliquod commiserunt, privilegiorum suorum privatione dignum, non ipso facto privati, sed Iudicis sententiam requirit. *V. Dian. Par. I. Tr. 2. Res. 20. & 52.*

XII. Qui clericus verò incorrigibilis est, absque ulla degradatione, quâ in manus laici magistratus committatur, à sæculari Iudice capi, puniri que posse, pronuntiat *Iul. Clarus q. 36. & Covarr. l. Practic. q. 32. §. secundò est annotandum,* allegans textum *c. Cum non ab homine de iudic.* quem ita intellexerint *Ioan. Andr. Cardinal. & Imola.* Ratio quoque probat, quia post trinam monitionem, & aliis præmissis se incorrigibilem exhibens iustissimè fori privilegium amittit, & contumax censetur, intellige post declaratio-

nem

nem Iudicis Ecclesiastici v. Barb. in c. Cum non ab homine de iudic. Coron. in sum Diana. v. Iudex laicus n. 6.

Denique in materiâ hac satis dubiâ & variis opinionibus implicita Regum, & principum privilegia attendenda sunt. In Gallia Regno Magistratus sæcularis potestatem habet iudicandi, & puniendi personas Ecclesiasticas in casibus privilegiatis, cuiusmodi est delatio armorum prohibita, & quæ ex illa sequuntur, puta, si quis molius quicquam fuerit contra tutelam regiam, aut salvaguardiam. Tholos. l. 30. c. 11. n. 78. Addit Boerius, crimen læsæ maiestatis, falsæ monetæ, & seditionis. Arma gestantes in Gollia clericos pœnâ pecuniariâ multari Cavarr. tradit. pract. q. 36. In Hispania eodem modo puniri à tul Claro assertur l. 5. q. 36. nec arma spoliatis reddi. Item à Rege cognosci de violentiis Episcoporum & Iudicum Ecclesiasticorum auctor est Davalos in Directo. Iudicum c. 7. n. 12. & Covarr. l. practico Q. 9. 35. n. 3.

Scio, non deesse, qui prædictam opinionem improbam vocent, velintque revocatam esse privilegiorum concessionem, quibus innititur, sed qui illis potiuntur, longi temporis ulum obrendunt, nec ullam revocationem agnoscunt, eò quod privilegia in remunerationem beneficiorum regibus de Ecclesia benè meritis concessa nunquam revocentur, nec particularibus quicquam obesse revocationem generalem. Tholos. l. 47. c. 21. n. 25. Filliut. Tr. 16. c. 10. n. 258. Menoch. de reitenda pass. Remedio 3. Navarr. l. 5. Confil. 7.

Quin etiam Bannez. in 2. 2. q. 67. ar. 1. Regem Hispaniæ affirmat habere privi-

legium à summis Pontificibus concessum, ut possit causas Clericorum ad sua tribunalia avocare, quando aliquis etiam sæcularis conqueritur, quod vim patiatur à Iudice Ecclesiastico. Tunc, ait, Iudices sæculares poterunt iudicare ex ipsa commissione Pontificis, an fiat vis, vel non. Quæ res multum reprimat episcoporum Vicarios ab insolentiis. Nihilominus semper manet liber recursus ad Sedem Apostolicam. c. Omnes, & sequ. dist. 12. v. Tholes. l. 49. c. 1. n. 12. & Bonacinam To. 3. disp. 1. q. 13. qui agnoscit privilegium summi Pontificis legitime concessum excusare ab excommunicatione lata in avocantes ad sæcularia tribunalia causas Ecclesiasticas à Iudicibus Ecclesiasticis, vel earum cursum inhibentes: tumque canon loquitur de avocantibus auctoritate propria, quod non faciunt privilegiati, tum quia legislator in sua lege potest dispensare.

Simplex autem tolerantia summi Pontificis, si qua est, privilegium non inducit. Addit demum, privilegium causas Ecclesiasticas cognoscendi principibus concessum revocari posse, non obstante immemorabili consuetudine tum quæ privilegium inferiori concessum potest à superiore revocari, tum quia huiusmodi privilegium odiosum est libertati Ecclesiasticæ.

NOTA. Qui improbant consuetudinem ab Episcopo ad regium tribunalia recurrendi propter violentiam, uti Suardius, & Laym. l. 4. tr. 9. c. 4. agnoscunt nihilominus in casibus extraordinariis fieri posse, ita ut oppressus iure naturali se ipsum defendere, & alios quoscunque etiam laicos ad sui defensionem advocare queat,

queat, modò iniuria manifesta sit, & nihil fiat per modum usurpatæ iurisdictionis, sed solum per modum iustæ, ac necessariæ defensionis. v. *Navarr. c. 27. nu. 70. & Bern. Diaz. c. 57. in Annot. Coton. in summa Dian. v. iudex laicus.*

§. 4.

Satisfit Dubiis de Iurisdictione Ecclesiastica, & laica.

Dub. 1. Laicus iniuriam clerico facit, à quo Iudice punietur.

R. Glossa ab Ecclesia puniendū esse, idque ex generali consuetudine fieri per totum orbem tradit *Lapus alleg. 59. n. 9. Alex. Consil. 79. n. 2. Tuschus. v. Consuetudo concl. 818.* Alii ab Ecclesiastico, & laico magistratu puniri posse, & locum esse præventioni. Quamobrem, si Iudex Ecclesiasticus cæperit, prosequatur, desistat verò, & omittat, cum laicus prævenit. Pro hac opinione pari confidentia praxin & consuetudinem allegant. Mihi magis placet (*ait. Iul. Clarus q. 36. c. fin.*) ut uterque Iudex procedat, & uterque condemnet, ita ut Episcopus civitatis contra percussorem clerici v. g. procedat ad pœnas spirituales; laicus verò Iudex ad pœnas siccæ applicandas, cum pœna spiritualis non tollat temporalem, nec e contra temporalis spirituale. Idem *Barb. docet in c. Olim. de iniuriis.* In hac Germaniæ nostra parte, ubi Episcopi utriusque foro præfident, malefactores contra Clericorum iura, & privilegia omnes ad consistoriū Ecclesiasticum remittuntur; & pro qualitate delicti pecuniaria vel corporali pœna puniuntur extremo supplicio lai-

cis commissio. *Sanch. l. 6. Consil. c. 1. D. 4. Navarr. inc. Novis. de iudic. Notab. 6. à n. 4. Zyp. l. 1. de iurisd. c. 8.*

Dub. 2. Contingit interdum, ut complices sint & correi clericus, & laicus, quis eorum tunc Iudex.

R. *Anto. de Prato, Iul. Clarus, & Menochius de arbitrariis casu 371.* cum multis à se citatis ad Iudicem Ecclesiasticum pertinere, quia magis dignum quod est, minus dignum ad se trahit. *c. Quanto de iudicis.* In praxi servatum, & à se visum testatur *Socinus, & Ioan. Arno.* quibus assentitur *Diana, Layman, & Zypaus.* Contrarium à se notatum *Ignens & Iul. Clarus* asserit, quod nimirum Iudex laicos laicos, & clericus clericos iudicet. Idem multis probat *Anto. Gomez. to. III. c. 13.* addens in regno Hispaniæ clericum primæ rōsuræ, si declinet forum Iudicis secularis, & recurrat ad Ecclesiasticum, amittere officia regalia & redditus illorum. Certi iuris est Ecclesiastico Iudici cognitionem causarum, quæ ad clericos spectant, & seculari eas, quæ populum concernunt, competere. *c. Clerici c. Cum non ab homine. de Iud. c. 2. c. si diligenti. de foro comp. quod fundamentum Fachinus l. 9. c. 31.* agnoscit fortissimum esse, ac proinde posteriori sententiæ subscribendum. *v. Decianum late discurrentem l. 4. c. 9. Zypaum lo. cit. Bapt. Fragojo To. 1. l. 2. de regim. Resp. Christ. disp. 4. §. 4. membr. 6.*

Dub. 3. Clericus officium sæculare habet à principe, & delinquit in administratione illius, nunquid à principe puniri potest?

In c. Sacerdotibus. Ne clerici vel monachi. Eugenius Papa Sacerdotibus, & clericis prohibet, ne ministri laicorum fiant: quod

quod si fecerint, & occasione ipsius administrationis propter pecuniarum causam deprehensi fuerint in fraude, indignos esse, quibus ab Ecclesia subveniatur, per quos constat in Ecclesia scandalum generari. Ex his deducunt aliqui, clericum, qui in officio seculari peccat contra dominum, à quo accepit, ab eodem puniri posse, itaque servari in praxi apud Gallos affirmat *Aufrelius*. *Clem. 1. de off. ordm. Reg. r fallentia 17. & Benedictus in c. Rayntrius de testam. verb. Et uxorem 2 Decisionem 447.* Privantur autem officiis, addita etiam quando res exigit, pœna pecuniaria. Quam etiam regno eici posse clericos inobedientes *Salgado* cum aliis quibusdam tradit, quibus merito re clamat *Diana*. & *Zyp. l. 1. c. 22.* Nam & *Urbanus V.* generatim id prohibuit, & generalius *Martinus V.* in *Constitutionibus* relatu à *Petro Matthæi*. Igitur.

R. quamvis in officio seculari Clericus delinquat, à principe, & Iudice seculari non posse puniri. *Gl. ssa in cit. c. sacerdotibus. Abb. in c. Cum contingat. nu. 1. de fo. comp. l. l. Clarus q. 63. vers. Quæropone. Decianus l. 4. c. 9. & alii apud Barb. in c. cit. Sacerdotibus.* Non obstante quòd Episcopus, & Vicarius ipsius punire possint excessus familiarium laicorum, si deliquerint in officio, ut bene notat *Boetius decif. 9. n. 7.* Addit *Diana Par. 4. Tr. 1. Resol. 39.* excommunicationis vinculo irretiri.

Neque contrarium ex verbis *Eugenii* rectè colligitur, quia non loquitur de subventionem respectu fori, quasi ab Ecclesiastico Iudice desertus, seculari relinquendus sit, sed de ea, qua fraus defenditur, ac fulcitur auxilio, vel favore. Et hoc valere etiam in minoribus ran-

tum constitutis amplitudo privilegii ipsorum suadet, & agnoscit *Covarr. l. pract. q. 33. n. 6.* & idcirco caveri, ne huiusmodi officia dentur clericis primæ tonluræ. Idem tenet *Iul. Clarus §. fin. q. 36. n. 25.* accusans quorundam Principum mores, qui alia persuasione nixi clericos, si quid in officiis secularibus neglexerint, quamvis in sacris ordinibus constituti sint, officiis privant, & multa pecuniaria puniunt. v. *Decianum lo. citato. Cotonium in Sum. Diana v. Iudex laicus n. 5.*

Dub. 4. An clericus ex commissione principis secularis causas criminales laicorum cognoscere, & iudicare possit.

Qui affirmativæ parti adherent, auctoritate *cap. in Archiepiscopatu de raptorib.* nituntur, ubi Siciliæ rex Archiepiscopo Panormitano, & aliis Episcopis commisit Saracenorum gravia delicta cognoscenda, & punienda, quam commissionem approbavit *Alexander III.* ita, ut præter pecuniariam multam verberibus quoque afficere possent, dummodo flagella in vindictam sanguinis non transeant. Vnde *Glo. in v. Commiserit*, principem ait delegare causam criminalem Episcopo posse, cum non intervenit sanguis. Idem sentit *Innoc. Ostiens. Ananias, Ancharanus, Abb. Socinus, Farinacius, & alii* quos numerat *Barb. in lo. cit.* qui in confirmationem trahunt textum *cap. sepè. 23. q. 8. & c. Inter delectos. v. 2. ibi ex delegatione Ludovici de fide instrumentor.* Verùm ista tam generaliter asserta probari nequeunt.

R. Igitur. Clericus in sacris constitutus non potest à principe seculari suscipere generalem commissionem pro causis laicorum criminalibus, quamvis pœ-

na sanguinis eximeretur. *Patet ex c. Sed nec. Ne Clerici, vel Monach.* ubi simpliciter & procuratores villarum, & iurisdictiones seculares sub secularibus principibus vetantur, quia contra doctrinam Apostoli est dicentis 2. ad Tim. 2.

Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus. Idem prohibetur in *c. sepè 23. q. 8. quod est Consiliu Toletani IV. & sequentio. His à quibus.*

Dixitque Clemens in *Epist. ad Iacobum fratrem Domini* relata in *c. Te quidem xi. q. 1.* Opporret te irreprehensibiliter vivere. Neque enim iudicem aut cognitorem secularium negotiorum hodie te ordinare vult Christus, ne pravocatus presentibus hominum curis non possis verbo Dei vacare, & secundum veritatis regulam secernere bonos à malis.

Dixi, *generalem commissionem prohiberi*, quia unius negotii, cum sanguis non intervenit etiam criminalis cognitio & puniatio subinde delegari potest clerico etiam in sacris constituto, vel beneficiario (in hisce casibus enim æquiparantur) quod *exc. In Archiepiscopatu* liquet, & in procurationibus quoque locum habet. Nam in una causa id permitti clericis potest modo non sit ita difficilis & ardua ut nimium distrahatur. *Innoc. c. un. de obligat. ad ratiocinia. Panor. in c. cit. sed nec. & c. Clericus. Ne Clerici vel Monachi. Covar. Clem. si furiosus 2. par. §. 5. n. 8.*

NOTA 1. *In c. in Archiepiscopatu* punitionem Saracenorum ab *Alexand. III.* idèd permissam esse Episcopis Siciliae, quia intererat Ecclesiae, & multatum animarum, ut barbarorum audacia cohiberetur, & maxime quæ inter alia flagitia committebant etiam sodomiam, cu-

ius cognitio, & castigatio ad forum Ecclesiasticum per se pertinet,

NOTA 2. Clericis, qui vel solam tonsuram, vel ordines minores tantum sine beneficio habent, non prohibentur procurationes, & iudicia quæ conquiescere, ut nec alia officia secularia, modò coronam non gestent. *Nay. c. 25. n. 110. Sanchez. l. 3. Conf. c. un. dub. 20. n. 4. Bern. Diaz. in Pract. Crim. c. 62. Ign. Lopez. c. 103.*

Dub. 5. An quodlibet officium iustitiæ exercendæ clericis prohibuitur sit?

R. Quia verba capituli *Sed nec. Ne Clerici, vel Monachi, & ratio* addita. Nemo militans Deo implicat se secularibus negotiis, generalia sunt, *Abbas Salzedo allegat in c. 63. Practica Bern. Diaz.* nullum actum iustitiæ exercendæ permitti Clericis putat: imò per illum textum clericum non posse munus Vice Regis, vel Vice comitis subire, nec locum tenere aliius principis secularis: vel habere subcuriam suam aliquam civitatem, seu locum temporalem: pro confirmatione allegat textum magis specificum in *c. Clericus §. 1. cod. T.* Verba sunt iubemus sub interminatione anathematis, ne quis Sacerdos officium habeat Vice comitis, aut præpositi secularis: Vbi pondera verbum *Sacerdos*, quod in materia odiosa non debet extendi ad Diaconos, & Subdiaconos, qui quamvis unum ex prædictis officis suscipiant, non inciderent in pœnas à iure constitutas, quia solis sacerdotibus imponuntur. Præterea quod dicitur non licere Vice Regis aut Vice Comitis manus exercere, subintelligendum est in seculari iurisdictione, & iudicio sanguinis.

Monet etiam *Sayrus & Suarez* citatos Cano-

Canonem non loqui de iurisdictione annexa statui, vel dignitati, sed de adventitia. Nam si iurisdictione temporalis annexa sit episcopatus vel Prælatuæ, aut de novo annexeretur, haud dubie utramque exercere poterit. Quod verò in Hispania passim Episcopi sunt proreges, aut præsides, senatus regii, dispensationi tribuendum est. *Sayrus l. 3. de censuris c. 32. n. 6. Caietanus c. 76. Henrig. l. 14 c. 5. Suar. v. disp. 23. sect. 3. n. 1. Barb. inc. Cler. ne cler. vel mon. fillius tract. 4. c. 7. Q. 4. n. 106 Bonac. de censur. d. 2. Q. 1. pun. 5.*

Nota. In compromisso adhibitus partium consensus absque clericis ullius potestatis metu iudicare potest, non distinguitur. *S. sacerdotali. de arbitrio. Qui ex consensu cum l. seq. C. de Episc. audientia.* Est enim munus pietatis & statui sacerdotali conveniens, qui ad conciliandam inter dissidentes pacem ordinatur. *Ioan. Andr. in add. ad speculat. l. de arbitrio, Salredo inc. 6. Practica Diaz.*

Dub. 6. Si iudex ecclesiasticus clericum degradatum magistratui laico tradiderit, potestne hic illum corporaliter punire?

R. Inc. cum non ab homine, de iudiciis. *Celsus l. de finit. eiusmodi reos per seculares potestatem comprimendos esse, ita, ut deputeretur eis exilium, vel alia legitima poena inferatur.* Ex quibus verbis aliqui colligunt, non esse corporalem poenam, cuiusmodi est verberatio, mutilatio occisio, & similes poenæ afflicendos. Quod tamen nec ipse textus, nec ulla ratio persuadet. Quamvis enim inibi corporalis poena non exprimitur, non vetatur tamen, sed discretioni iudicium relinquitur. Eam ob rem hodie usus obtinuit,

ut eiusmodi desperati, & incorrigibiles clerici, ab Ecclesia excommunicati quolibet supplicii genere tollantur. *V. l. Clar. §. final. Q. 6. gn. Lopez in pract. crim. c. 142. Sanchez l. 6. Consil. Moral. c. 8. dub. 2.*

Dub. 7. Cains a iudice ecclesiastico hæreticus declaratus, & seculari magistratui traditus est, quæritur, an hic aliquam de Caio cognitionem sibi vendicare queat?

R. Affirmativam opinionem à Bartolo primum electam, amplexus postea est *Baldus Paulus Castrensis, Imola, & alii quidam.* sed nullo firmo argumento, ut propterea absque omni hæsitatione negativa opinio obtinere debeat. Nam præter expressam prohibitionem *Bonifacii VIII. Gregorii XIV.* & aliorum pontificum ratio manifesta suppetit. Hæresis enim omnino spirituale crimen est, consistens in errore intellectus cum depravatione voluntatis, nec iudicari, aut dignosci potest, nisi à rerum sacrarum peritis. Laici igitur, quibus ad executionem reus traditur, assertioni, & informationi Inquisitorum securè possunt acquiescere, & quod sui muneris est, sententiam & executionem complere. Modus apud Hispanos usuratus, quem *Ign. Lopez* describit *inc. 144.* laudabilis est. Solent, inquit, seculares iudices ante actum degradationis habere notitiam processus, & in continenti degradandum clericum sibi traditum ad poenam ordinariam damnare, & statim executionem faciendam præscribere. Quod ideo introductum est, ut cum maiori exemplo ab omni populo, qui ad actum degradationis accessit, poena infligi videatur. Iam sive hic modus, sive alius pro varietate regionum



observetur, nulla causa est, cur de nova cognitione, & iudicio facienda laicus iudex occupetur. *Simanchain Enchiridiotit. 66.* oppositam sententiam dicit communi consensu peritorum exploram & usu etiam reiectam.

Dub. 8. Quid sæcularis Iudex possit in relaxandis iuramentis?

Titius per vim, aut metum iniustum extorsit à Caio iuramentum de solutione 100. florenorum, quæro, an Titius cogi possit à sæculari Iudice ad remittendam obligationem iuramento sibi factam? cogi posse ab Ecclesiastico Iudice certum est quia iuramentorum causæ ad forum Ecclesiasticum per se spectant. *c. ult. de fo. comp. in 6.* remanet igitur scrupulus de magistratu laico an idem possit?

R. Posse, quando materia iuramenti ut in casu nostro, merè temporalis est. Ita *Felinus* cum aliis multis apud *Suarium* *11. de reg. l. 2. c. 9.* Rationem dant, quia sæcularis Iudex cogere potest ad iuramenti observationem. Ergò etiam ad remissionem & condonationem iuramenti iniusti. Neque hic opus est causæ cognitione, cum supponatur à Titio iniuriam factam esse, quod delicti genus non excedit fori sæcularis limites.

Adde, Iudicem sæcularem etiam per se obligationem talis iuramenti tollere posse. Nam si Titius obligationem sibi factam per se remittere potest, id quoque Magistratus cui subordinatur, quandoquidem legitima causa subest, nimirum, ut impediatur effectum, & consumptionem iniuriæ inchoatæ per extortum iniuste iuramentum.

Vnde sequitur *Primo*, iuramenta usu-

aria facta rescindi posse à principe sæculari. *Secundo*, similiter iuramenta in præiudicium publicæ potestatis extorta, videlicet de non accusando, non renunciando, & similibus.

Tertio, Per legem aliquam constitui posse, ne valeant eiusmodi iuramenta, aut ullum effectum habeant. *Silv. V. iuramentum V. n. 15. Ies. c. 43. d. 12. n. 66. Sanc. l. 1. de matrim. disp. 31. Mol. disp. 149. Gall. l. 1. Obs. 25. Laym. l. 4. Tr. 3. c. 8. num. 3. Tolet. l. 4. c. 23. Zerola P. iuram. §. ad quintum. Em. Sa. n. 29.*

Dub. 9. Quid potestatis habeat magistratus sæcularis in causis matrimonii?

R. Quamvis hodie Principibus Christianis nihil statueri liceat de matrimonii valore, & effecta, quia eam potestatem sibi soli Ecclesia vendit. *Conc. Tr. Ies. 4. Can. 3. & 4. c. 1. de consang. c. mul. torum 35. q. 6.* nihilominus spectata rei natura, & lepositis Ecclesiæ decretis, quilibet supremus princeps iustas ob causas constituere potest impedimenta matrimonii, tam dirimentia, quam impedientia tantum.

Ratio, quia matrimonium est contractus quidam in naturæ, & humanæ speciei conservationem ordinatus. Nec obstat, quia nunc ad sacramenti dignitatem elevatus est, quia sacramenti ratio naturam contractus nequaquam mutat, sed supponit. Illo autem per legem aliquam mutato cessat quoque Sacramenti natura, cum desit illi fundamentum. Hanc ob causam *Sanchez, Coninck & alii quidam* tradunt, Christianos ethnicis regibus subiectos impedimentis matrimonii astringi iuxta ritum, & leges

confero licet Layman reclamer dicendo, non excedere potestatem Ecclesie, omnes ubique terrarum existentes Christianos eximere legibus politicis etiam ethnicorum, principum, & subiicere ecclesiasticis, quod attinet matrimonii validitate & invaliditate cum plurimum pro sacramentis dignitate interfit, in hac re uniformitate inter Christ. omnes observari. *S. Th. in 4. d. 39. q. un. Durand. ibid. Navarr. c. 2. n. 48. Roderiq. to. 1. summa. c. 230. concl. 1. Henriq. Sanch. alii ap. Laym. l. 4. Tr. 10. c. 1.*

Dub. 10. An iudex secularis clam contrahentes matrimonium punire possit pœnis à laico magistratu constitutis?

R. Posse, modo præveniat, quia mixti fori est & circa factum versatur. Quod si ecclesiasticus iudex præveniat, nec tamen condignè puniat eos, qui clandestinum matrimonium contraxerunt, licebit seculari iudici iterum punire debita cum moderazione. Idem ecclesiastico iudici non permittitur, quam vis eandem culpam contraxisset laicus, nisi pœna per secularem magistratum imposita sit levior imponenda per ecclesiasticum loquendo de pœna corporali, vel pecuniaria. Quamvis enim excommunicatio, quæ ecclesiasticorum iudicum pœna, omni pœna temporalis gravior sit, secundum quid tamen ad salutem animæ potius, quam corporis afflictionem dirigitur, adeo medicinalis potius quam afflictiva est, & hoc loco inter graves pœnas non numeratur. *Iul. Clar. in Q. 57. n. 14. Minch. de success. l. 3. §. 26. Sanch. l. 3. de matr. disp. 54. n. 8. Guier. 2. pract. q. 2. n. 1. Aznbedol. 5. re-*

cop. tit. 1. l. 1. n. 42. Bellarm. de matr. l. 1. c. 32.

Dub. 11. Verum in causa adulterii competens iudex laicus esse possit?

Reiectis quis nulla distinctione adhibita mixti fori existimat adulterii crimen esse, ut sua cuique foro iurisdicção integra maneat.

R. I. Cum de adulterio agitur, ut illius intuitu divortium fiat, solus iudex erit ecclesiasticus. *Tua de procurat. c. 1. ut lite non contestata Covarr. p. 2. c. 7. §. 6. n. 15.*

2. Cum principaliter de dote lis est, ad solum laicum iudicem pertinet. *Glo. in. c. Prudentia de donat. inter virum & vxo.*

3. Idem dicendum est de causa alimentorum, quando de ea principaliter agitur. *Mol. & Sanch. l. 10. D. 8. n. 15.*

4. Cum de pœna sanguinis adulterio infligenda agitur, laici iudicis officium implorandum est. Quod alias pœnas attinet subinde locus præventioni datur.

5. Si adultera à viro separata litem de alimentis sibi præbendis moveat, & maritus excipiat de non sufficiente causa divortii inimicum de adulterio cessabit iudex laicus, & causam ecclesiastico relinquet, qui divortii qualitatem examinet. quo factu ad institutum suum redire poterit, ut quod de alimentis petita est, expediat. *c. Tuam de ordine cognit. c. si iudex de sent. excommunic. Bart. ad l. Quoties C. de iudic. & l. Titia. x. solu. matr. Sanchez. l. 10. de matrim. disp. 8. n. 16. Diaz. in pract. crim. c. 26. Fachinaus l. 1. c. 44. Roman. singu- & leges ab ipsis latas, quod probabile*

lar. 667. Dambaud. in Pract. c. 89: Maranta de ord. iud. par. 6. tit. 1. n. 170. Az. in summa l. 9. §. 9. Zerola V. adulterium.

Dub. 12. An secularis Iudex ecclesiastici magistratus negligentiam supplere, & spirituales causas ad se trahere, & tractare possit?

Pro affirmativa parte facit. I. ecclesiasticus iudex, ut supra §. 2. n. 111. diximus quando laicus negligens est cum damno subditorum illius loco ius dicit. c. ex suscepto de for. compet. ergo à pari, quando ecclesiasticus vel non vult, vel non potest exercere iudicium, supplere poterit iudex secularis, 2. si hoc non peimititur, impunita delicta manebunt, innocentes ab impiis, & fontibus opprimuntur, nec ullus finis erit querelarum, & contentionum. 3. Archiepiscopis & Episcopis negligentibus correctionem rectorum, qui Ecclesiae bonis aburnuntur, punitio Regibus permittitur. c. filius, vel nepotibus 16. q. 7. Regibus hoc acribus intinmare non differant, sicut et regnum officium est proprium, facere iustitiam, & iudicium, & liberare de manu calumniantium vi oppressos. c. Regum 23. q. 5. Item 4. in c. Principes ibid. indicatur saeculi principes potestatem habere, ut superborum cervices comprimant, & quod fieri non potest per iudices ecclesiasticos, ab ipsis executioni mandetur, ne quid impunitum maneat. 5. In c. administratores eod. praecipitur secularibus praefectis, ut quoties ab Episcopis, & Ecclesiasticis viris conventi fuerint, eorum quarimonias attentius audiant, & secundum quod necessitates expetierit, absque negligentia examinent, & diligenti studio corrigant. Denique Auth. ut clerici collat. 6. con.

formiter citatis Canonibus clericibus veniunt Episcopos suos convenire, illis vero negligentibus aut secularibus iudicem civilem, ita post Covarr. Holtzer. de conservatorib. Q. 5. n. 7. Franc. Marcum par. 2. Q. 371. & alii quidam magis speciose quam solide.

R. A iudice laico nunquam suppleri negligens iam iudicis Ecclesiastici, neque causas ecclesiasticas iudicari ab illo. Patet ex tit. de iudicis. c. decernimus. quanto c. clericis. qualiter. ubi dicitur. ne pro defectu iustitiae clericis traherentur à laicis ad iudicium saeculare: quod omnino fieri prohibemus. At scelera impunita manebunt, Minime. Nam si Episcopus negligat, ad Archiepiscopum patet via, ab hoc ad primatum, à primatum ad legatum Apotolicum & ipsum Pontificem. Nec prudenter metuemus omnes fore negligentes, ut nec in saecularibus timemus.

Quod iura attinet in contrarium citata vel dicendum, antiquata esse per citatum c. Qualiter. Nec id mirari quilibet debet, cum in aliis multis idem fatei necesse sit: vel, quod malim, loqui de protectione & advocatia, non vero iudiciali potestate. Constat enim Reges, & principes Christianos ab initio Ecclesiae nutritos, ac protectores constitutos esse: hodieque id iuramento promittunt. In defectu igitur, & negligentia pastorum Ecclesiae, promissum est miseris, & oppressis, ut opem & auxilium saecularium principum implorarent. V. qua dix. p. 1. tit. 1. §. Innoc. Archid. Pan. Az. l. 5. c. 14. Suar. l. 4. con. error. Angl. c. 14. n. 20. & seq. Diana Par. 4. Tr. I. Resol. 80. Farmac par. 4. l. 3. consil. 68. n. 2. & 10.

§. 5.

De iurisdictione fori Communis, seu mixti.

I. Crimina quædam sunt merè Ecclesiastica, & ad forum Ecclesiasticæ tantum pertinent, ut hæresis, Simonia, usura, matrimonium contractum in gradibus iure Canonico prohibitis, vel cum impedimento, vel contra præceptum aliquod iuris Canonici, nuptias celebrare tempore interdicto: item violatio voti, transgressio alicuius ex quinque præceptis Ecclesiæ violatio censuræ Ecclesiasticæ, & sacrilegium in Sacramentis commissum. *v. Azor. II. l. 3. c. 14. §. 2. notandū.* Quædam merè sæcularia, ut furtū, rapina, homicidium, iniuria à laico illata & similia, de quibus magistratus politicus cognoscere potest. Alia denique censentur mixti fori, seu communia, ut adulterium, & quæ mox subiungam. Mixti fori idèò vocantur, quia tam ab Ecclesiastico, quàm laico iudice cognosci & puniri queunt. *c. Cum sit generale. de ser. compet. c. de his. de accusat. Nav. in c. Novit. de iudic. Notab. 3. n. 23.*

In his locum habet præventio, quæ contingere potest variis modis, nimirum per citationem, lites contestationem, per libellum, & per sententiam. Aliquando per comprehensionem, & arrestum, id est citationem realem. *Damb. Pr. Crim. 6. 33.*

II. Communis fori crimina censentur i. adulterium à laico commissum, quando ad pœnam seu criminaliter agi-

tur, quia per illud Sacramento iniuria fit. *Abb. in c. Intelleximus n. 1. de adulter.* estque communis opinio. Potest ergò Episcopus adulterii reos excommunicare, vel in monasterium detrudere. Potest eodem magistratus laicus pœnis à iure præscriptis afficere. Dixi, *quando criminaliter agitur.* Nam si agatur de separatione thori, vel amissione dotis propter adulterium constituendâ solius Ecclesiastici iudicis exquirenda sententia est, ut §. *prac. n. 11. dixi. c. Cum sit generale de foro comp.* Monet verò *Zypæus l. 1. c. 48.* adulterium quia grave crimen est, à sæculari magistratu potius, quàm Ecclesiastico puniendum esse, quia corporalis pœnæ acerbior sensus est. Quando autem, ut alicubi hodie, laicus magistratus in punitione remissior est, Ecclesiasticus curare debet ne tam gravis iniuria impunita transeat.

2. Crimen est blasphemia in Deum, vel Sanctos. *c. statuimus. de maledicis.* ubi à *Greg. ix.* certa pœna, & satisfactio decernitur contra blasphemos, quos etiam sæcularis magistratus pœnâ pecuniariâ afficere queat. *v. Decianum l. 6. t. 4* ubi notat, Iudæum, si blasphemet, à solo laico iudice puniendum, nisi forte hic negligens foret in persequendo eiusmodi blasphemos. *Damhaud. in Pract. Crim. c. 61. Calder Consil. 489. v. Et hoc crimen.*

3. Est Concubinitus, licet *Iul. Clarus. §. fin. q. 37. n. 4.* ad sæculares Iudicis existimet non pertinere, si concubinitus iure civili permittitur. Sed meminisse poterat non omnem concubinarum ab imperialibus legibus permitti, sed illud duntaxat, qui quandam matrimonii similitudinem habet. Nihil igitur obstat, illum,

d

illum, qui non permittitur, vagum scilicet & inuerecundum in sæculari etiam foro puniri, v. *Con. Tr. sect. 25. c. 14. & 24. c. 8.* ubi Barb. in *Collectaneis suis* animadvertit, finem Iudicis Ecclesiastici in puniendo concubinato esse correctionem, Iudicis laici verò pœnam; adeoque fieri posse ut punitus à Iudice sæculari puniatur etiam ab Ecclesiastico, & è contra. Unde sequitur, non esse hanc præventionis vim, ut Iudici prævento quasi manus ligentur, ne iudicatum, & castigatum reum attingat, sed ut utriusque iuri satisfiat. DD. in l. si postquam. *π. de iudic. & c. penul. de foro compet. Coton. in Sum. Diana. v. Crimina mixti fori. n. 4.*

4. Collegia, & conventicula illicita utriusque fori iudicio subiiciuntur, & quando gravitas delicti non excedit facultatem Iudicis Ecclesiastici, habet præventio locum. Censentur autem illicita conventicula, quæ vel iure Canonico, vel civilibus legibus prohibentur. *c. Dilect. 14. de excess. Pralat. ubi Barb. probari per textum ait, privatos homines regulariter collegium constituere. & illius signa erigere non posse. Item. c. Ne nimia. de religio. damibus.* quo novæ religiones prohibentur, exemplo nimirum Iuris civilis à *Glossa* allegati, quo novum collegium non licet in consulto principe constituere. *l. 3. π. de Colleg. Vivianus in Ration. l. 5. p. 187. Alagona Comp. p. 708. v. Cuiacium l. 7. observat. c. 30. Oldrad. Consil. 65. v. Communiter.*

5. Falsificatio, literarum, Apostolicarum, cuius auctores clerici beneficio privantur, degradantur, laico iudici traduntur legitimis pœnis afficiendi, si verò laici fuerint, excommunicantur. *c. 7. & to.*

tit. de crim. falsi. ab Ecclesiastico Iudice punitur laicus, qui eidem falsas literas præsentavit. In literis regijs falsitatem committens clericus, degradatur, caractere in fronte notatur, & ex provincia civitatur. *c. 3. tit. cit. §. fin. ibid. perpetuo carceri includitur, pane doloris, & aqua angustiae sustentandus. Atque ita in foro Ecclesiæ puniuntur falsarii. Quod verò etiam in sæculari, nullum dubium est, ait Decianus, ex to. T. & C. de falsis. v. Barbojam in c. ad falsariorum. de crimine falsi.*

6. Est fractæ pacis crimen, si credimus omnibus (ait Decianus l. 4. c. 26.) post Panorm. in c. Cum sit generale. de fo. comp. Pertinet autem ad summum Pontificem tunc maxime curare pacem, quando ex bello Ecclesia, & religio damnum patitur, in fœdera admittuntur pagani & hæretici, qui fidem orthodoxam opprimunt, Ecclesias subvertunt, hæresin, & atheismum invehunt, sanam denique doctrinam pessumdant. Zypaus l. 1. c. 51. Card. Tuschus. v. Pax. Conclus. 172. & sequ. Gaill de pace publ. l. 1. c. 1.

7. Est incestus crimen, quod quia varios gradus habet, notandum, eos à solo Iudice Ecclesiastico puniri, qui solo iure Canonico prohibentur, reliquos ab utroque v. *I. holos. l. 3. c. 7. Bern. Diaz. in pract. c. 86.*

8. Ab incendiariis perpetratur. *c. pessimam. 23. q. 8. c. Cum de vorissimam. 12. q. 2. l. Qui cœtu in princ. l. 3. §. Idem. π. de vi publ. Unde colligitur punitum in foro sæculari, nihilominus excommunicari posse, & ad restitutionem compelli. v. Dambaud. in Pract. Crim. c. 103. Decian. l. 8. c. 5.*

9. Est piratarum. *c. si quis Romipetas. 24. qu. 3. c. si quis. 23. c. 3. l. Nautici. C. de*

C. de Canone frumentario Urb. Roma. Decianus l. 9. c. 29.

10. Elterimen sacrilegii. *c. Cum sit singularis. c. Conquestus. de fo. comp. Decianus l. 4. c. 27. n. 1.* idem dicit fori communis esse, quia aliquando agitur ad pœnam corporalem, de qua in *l. sacrilegii. C. ad l. lul. peculii.* quam pœnam Clerici imponere non possunt. *c. pœnam sangu. Ne clerici, vel Monachi.* Aliquando verò agitur de pœna excommunicationis, vel simili, quod ad forum Eccles. pertinet. Denique aliquando agitur ad pœnam pecuniariam, de qua in *c. Quisquis. l. 7. q. 4.* vel ad restitutionem rei interceptæ, & tunc uterque Iudex cognoscere potest. *c. Cum sit generale. de fo. comp.* His non obstantibus affirmat *lul. Clarus l. 5. q. 37.* in Mediolanensi Ducatu de consuetudine tantum laicus Iudices cognoscere de sacrilegio, idemque servari apud Gallos. Limitat *Tuschus v. Mixti fori.* nisi tendat in personam Clerici, vel Monachi. *Concl. 293.*

11. Sodomia à laico commissa. Hanc à seculari magistratu puniri posse docet *textus in l. Cum vir. nubit. C. de adult. & Aub. ut non luxur. hom. con. natur.* De Ecclesiastico extat *c. Clerici. & iure novo Extrau. Pii v. de qua legendus Navar. c. 27. n. 249.* ubi dicit pœnam iure Canonico constitutam esse depositionem, ita ut per Iudicem Ecclesiasticum degradati statim tradantur potestati seculari. Infideles quoque per Iudicem Ecclesiasticum, cum subiecti sunt, & sodomiam committant, puniri posse ex *c. In Archiepiscopatu. de raptorib. colligitur. Bern. Diaz. c. 88. Farmac. l. 1. Consil. 25. n. 2. & 10.*

12. Est sortilegium. *c. Contra idolorum 26. q. 5. & to. T. C. de malef. c. Episcopi ead. 26. q. 5. Abb. in c. Cum sit generale. de fo. con p. & videtur esse opinio communis.* In quibus autem sortilegium exerceatur post alios, explicat *Toletus l. 4. c. 15. Clarus in 6. Hæresis. n. 25. v. successive quaro.*

13. Violatio festorum, tunc nimirum quando à magistratu laico etiam de illa lara lex est, quemadmodum in Belgio factum testatur *Zypæus l. 1. c. 68.* ubi per edictum Anno 1607. Principes violationem dierum festorum mixti fori fecerunt: quod etiam moribus ferè ubique receptum putat.

14. Est usura. Nam de quæstione, an Contractus usurarius sit, nec ne, solus Ecclesiasticus Iudex cognoscit: ut facti quæstio ad sæcularem deferri potest. *v. lul. Clarus. q. 37. Fachinaum. l. 9. c. 30. Lanfranc. in Pract. c. 7.*

Huc denique Iuramenta spectant cum agitur de observantiâ. *Felin. inc. Cum sit. de for. compet. Barbat. ibid. n. 190.* in quo genere quid Magistratui seculari permittatur *§. 4. Dub. 8. diximus. v. Card. Tuschum p. Mixti fori. Concl. 293. num. 11. & sequ.*

III. Observat *Clarus, Decianus, & alii DD.* communiter, quamvis in prædictis criminibus Iudex Ecclesiasticus procedere cognoscendo & puniendo queat, non tamen posse de illis accitatos in carcerem conicere, præsertim perpetuum: quod intellige, nisi aliter consuetudo ferat. Imò simpliciter & absolute illis pœnis uti posse multi Auctores fatentur apud *Decianum l. cit. num. 15. Tuschus l. cit. num. 41.* Addit *Clarus*

Magistratus Ecclesiasticus præscripserit, nullam superesse difficultatem, sed licitè fieri: quod pluribus explicatum invenies.

§. 2. n. xv.

IV. Reum à laico Iudice punitum nihil vetat ut supra nō semel indicavimus, etiam pōnā Canonicā à magistratu Ecclesiastico affici: ut vicissim in foro Ecclesiæ punitum, in sæculari iterum puniri posse cum multis docet *Maranta Par. 6. pag. 147. Decianus l. 4. c. 26. n. 16. Zypaus l. 1. de iurisd. Eccl. c. 43. Clarus. §. fin. qu. 57.*

Neque enim unius iurisdicōio & sententia alterius potestatem extinguit, Nilominus quia durum videtur bis puniri reum pro uno delicto tres limitatio- nes adduntur.

Primā. Est, ut ratio personæ habeatur. Nam laicus à suo Magistratu condignā pōnā affectus non est iterum ab Ecclesiastico Iudice puniendus: quia principaliter magistratui sæculari subiectus est: atque ita vicissim, si Ecclesiastica persona condignè à suo Iudice punita est, convenit cessare laicum.

Secundā. Si delictum magis principa-

liter sit unius fori, & ab eodem principaliter puniatur, nihil causæ est, cur ab altero puniatur maximè si læsæ parti quoque satisfecerit reus.

Tertiā. Si reus absolutus est ab habente potestatem delegatam à superiori Iudice penes quem est utraque potestas territorii, in quo peccatum est, à nullo amplius Magistratu punietur, quia delegans censetur omnem potestatem spirituales, & sæculares delegasse. Ita censent DD. etiam de summo Pontifice, qui si Ecclesiastico cuiusdam deleget cognitionem criminis pōnam corporalem merentis, præsumitur dispensare, ut tanquam Iudex sæcularis eam imponat. *Glo. in s. At si Clerici de Covar. l. 2. var. c. 10. num. 6. Felinus in c. Quod olim. de iud. Clarus §. fin. Q. 57. Barb.*

in Prætermisus ad c. citatum At si Silv. v. Pœna. n. 24. Tabienan. 13.

Franc. Leopar. l. c. 12. n.

24. Zerola. v. Pœna

nu. 4.

* *

*

